


Google


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY




QUÆSTIONUM
DE
M. TULLII CICERONIS ET M. BRUTI MUTUIS EPISTULIS
CAPITA DUO

AD SUMMOS PHILOSOPHIÆ ARTIUMQUE LIBERALIUM HONORES
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
RITE OBTINENDOS
SCRIPSIT

RUDOLPHUS HEINE
BRUNSVICENSIS.

OSTERVICI.
TYPIS ZICKFELDTII.
MDCCCLXXV.


HARVARD
NOV 7 1895
LIBRARY

Caput I.

Quae ratio in diiudicanda epistularum M. Tullii Ciceronis ad M. Brutum auctoritate adhibenda sit demonstratur.

In M. Tullii Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem epistulis perscrutandis quamquam iam viri sagacissimi summaque doctrina insignes per plus centum annos operam collocaverunt, nihilo minus controversia utrum revera eae epistulae sint Ciceronis et Bruti an fictitiae ad finem nondum perducta est. Nec tamen eo sum deterritus, de epistulis hanc commentationem scribere, sed quid bonae frugis afferre possem tentavi.

Primus anno duodevicesimi saeculi quadragesimo primo Jacobus Tunstallus[1]) natione Anglus in epistula critica ad virum doctum Middletonium, cuius commentarius de vita M. Tulli Ciceronis eodem anno prodierat, latinitatem epistularum impugnare conatus auctor summae illius contentionis factus est. Quamquam vero Middletonius[2]) tantam iniuriam epistulis inferri non passus conamen illud repellere studuit, nihilo setius paulo post Tunstallus ad hanc extremam iudicandi notam progressus est, ut omnino epistulas illas a Cicerone et Bruto abiudicaret[3]), cui Jeremias Marklandus adstipulatus est[4]). Et quoniam per

---

[1]) Epistola ad virum eruditum C. Middleton vitae M. Tullii Ciceronis scriptorem etc. Cantabr. 1741.

[2]) in praefatione Ciceronis epistularum. Londini 1743 editarum.

[3]) Observations on the present collection of epistles between Cicero and M. Brutus, representing several evident marks of forgery in these epistles. London 1744.

[4]) Remarks on the epistles of Cic. to Brutus and of Brutus to Cicero. London 1745.

longum saeculi spatium nemo fere ad epistulas defendendas exstitit, si a Middletonio et a Weiskio[1]) recesseris, factum est, ut longe plurimi virorum doctorum cum Anglis facerent, velut Ruhnkenius[2]), Huldricus[3]), Wyttenbachius[4]), Fr. A. Wolfius[5]), Schuetzius[6]), Handius[7]), Niebuhrius[8]), Drumannus[9]), Orellius[10]). Anno h. s. quadrogesimo quarto tandem C. Fr. Hermannus omni contentione elaboravit commentationibus sagacissimarum observationum summaeque doctrinae plenissimis[11]), ut orbatas illas epistulas tueretur defenderetque contra Marklandum potissimum et Tunstallum. Jam vero interea etiam Anglorum defensor exstiterat A. W. Zumptius[12]) qui Hermanni ratiocinationes infirmare studuit. Cum vero Hermannus non adeo facile a patrocinandi munere deterreretur[13]) atque Zumptius quoque sententiis suis staret[14]), acerbissima contentio iis orta est multoque vehementior quam ea, quae centum annis ante inter Anglos exarsit, quum sermonis amaritudine, qua alter alterum acerbius increpabat, mutuo sibi stomachum facerent. Verumtamen ne tum quidem res ad certum finem perducta est neque Hermannus perfecit, ut dubitationes, sicut speraverat, omnes opprimeret. Recentissimis enim in editionibus epistulae nominantur subditivae, in Baiteri Kayserique, Klotzii, Wesenbergii editionibus; atque eidem sententiae

---

1) Auswahl der besten Briefe Ciceros von Benjamin Weiske. Braunschweig 1796.
2) ad Velleium Pat. 2, 12.
3) Programm de subditis Bruti et Cic. epistolis. Turici 1797.
4) vita Ruhnkenii. Lugd. Bat. 1799. pg. 219.
5) Ciceronis orationes quae vulgo feruntur IV. Berol. 1801.
6) Ciceronis opera rec. Chr. Schuetzius. Lips. 1814—21. Tom. VIII part. III.
7) Tursellin. II, 410.
8) Vorlesungen über röm. Geschichte von Schmitz. II, pg. 105.
9) Geschichte Roms etc. Königsberg. 1834—41.
10) Fragment. Ciceron. pg. 466. opp. Cic. vol. III ed. alt.
11) Vindiciae latinitatis epistolarum Cic. ad Brut. Gott. 1844. Abhandlungen der Gött. Ges. d. Wiss. Bd. II und III 1845 und 1847.
12) De Ciceronis et Bruti mutuis epp. quae vulgo feruntur. Berol. 1845.
13) Vindiciuarum Brutinarum epimetr. Gott. 1846.
14) Berliner Jahrbücher für wiss. Kritik. Berlin 1845.

sese applicuerunt Nakius[1]), Bardtius[2]) Bernhardius[3]). Sed ad eorum sententiam, qui epistulas Ciceroni et Bruto adiudicant, propensi sunt: Nipperdeius qui sextam decimam et septimam decimam primi libri epistulas solas fictitias esse contendit[4]), Baehrius[5]), Teuffelius[6]), Fr. Hofmannus[7]) qui fieri posse confitetur, ut epistulae primi libri sint genuinae. Atque Boisserius, natione Francogallus, qui iam bis optime mea quidem sententia de M. Bruto disseruit, in Hermanni defensione nos acquiescere posse putat[8]). Denique, qui nuperrime de M. Bruto commentationem scripsit, Slevogtius, controversiam non diiudicavit[9]).

Hi fere sunt, qui hanc quaestionem adhuc partim fusius partim in transcursu adumbraverunt. Quorum enumerationem si oculis obiter tantum percurreris, facile apparebit, longe plurimos cum Tunstallo et Marklando facere, nobis illudi et nubem nos pro Junone amplecti.

Sine dubio C. Fr. Hermannus, si nihil aliud, hoc tamen effecit, ut dilucide demonstraret, — id quod summa laude dignum est — Anglos nimis minute et anguste, quaecunque vel minimam insolentiae speciem prae se ferunt in dubitationem vocasse vel damnasse saepissimeque nodum in scirpo quaesisse, idque Zumptius ipse quamvis Anglorum apprime Marklandi defensor quodammodo concedit, cum dicit[10]): „Quem (Ciceronem) dum acrius ulciscitur (Hermannus), idem ei videtur saepe accidisse, quod in Marklando vituperavit, ut minus recte iudicaret eaque Ciceroni tribueret, quae ab eo profecta esse nequeunt.

---

1) Historia critica M. T. Ciceronis epistularum. 1861.

2) Quaestiones Tullianae. Berol. 1866.

3) Grundriss der römischen Litteraturgeschichte. Braunschweig, 5te Bearbeitung, 1872.

4) Leges annales pg. 71 (Abhandl. der sächs. Ges. der Wiss. 1865).

5) Geschichte der röm. Litteratur. Carlsruhe 1869. Bd. II pg. 606 ff.

6) Geschichte der römischen Litteratur. Leipzig 1872. pg. 321.

7) Ausgewählte Briefe von M. T. Cicero. I. Bändchen. Berlin 1874. Einleitung pg. 3.

8) Boissier. Cicero und seine Freunde. Deutsch bearbeitet von E. Doehler. Leipzig 1869.
Revue des deux mondes 1863. (T. XLVIII).

9) Quaedam de M. Bruti vita, literarum studiis scriptis Petropoli. 1870. pg 62.

10) De Cic ad Brut. et Bruti ad Cic. mut. epp. pg. 5.

Haec antequam ipsi nostram de latinitate harum epistolarum disputationem instituamus, persequemur, ita quidem, ut secundum ordinem libelli Hermanni (Vind. latinit), quae recte in eo defensa esse existimemus, praetereamus silentioque quasi comprobemus, ea modo, quae Marklandus recte videatur observasse, denuo examinemus." Multaque silentio comprobavit. Sed iam tum Lieberkuehnius, quamquam ab Hermanni partibus stare maluit quam Zumptii, vel sagacissima Hermanni defensione fore negavit, ut in posterum eae epistulae prorsus genuinae iudicarentur [1]). Verba ejus transcripsi: „Man wird glauben, dieses Hinwegräumen der Anklagepunkte werde hinreichen, das geächtete Buch wieder zurückzuführen in die ihm gehörige Heimat. Doch nein! ich glaube es nicht. Die lange Schmach ist einigermassen getilgt, doch will der Verstossene die alten Rechte wieder erlangen, so muss er ncoh einen positiven Beweis beibringen, dass er ein ebenbürtiger Sohn des Hauses ist. Die ganze Beweisführung Herrn Hermanns enthält den abwehrenden, mehr negativen Theil des Beweises. Der positive Beweis ist aus einer genauen sprachlichen Vergleichung mit den anerkannten Schriften des Cicero zu führen, und es ist darzuthun, wie in unsern Briefen derselbe Satzbau, dieselbe Gedankenverknüpfung, derselbe Wortgebrauch, mit einem Worte dieselbe Sprachweise sich findet, wie in jenen."

Quae vereor ut prorsus recte sese habeant. Contendo enim, non tam latinitatem diiudicandi ansam praebere posse quam res ad historiam illorum temporum pertinentes. Quomodo omnino latinitas iis regula et iudicium esse potest, qui etsi orationem quidem comptam esse concedant, tamen inde consequi negant, ut epistolae sint genuinae, immo paulo post Ciceronis mortem a falsario quodam eas conscriptas esse iudicant velut Orellius [2]) et Niebuhrius [3])? Huc accedit, quod re vera maximae et praecipuae difficultates, de quibus potissimum summa contentia erat exorta, codicis Medicei et marginis Cratandri ope prorsus remotae sunt. Omnes enim, qui hucusque fusius quaestionem adumbraverunt, ea in re erraverunt, quod non id potissimum egerunt, ut, priusquam ad latinitatem examinandam progrederentur, textum ad fidem codi-

[1]) Jenaer allgem. Literaturzeitung 1846. pg. 1186.
[2]) opp. Cic. vol. III.
[3]) l. c.

cum constituerent. Fuerunt enim hae epistulae (eas unus iudico, quae primo libri continentur et codicum auctoritate nituntur) ante Baiteri editionem in eadem condicione, in qua Ciceronis orationes illae quattuor post reditum habitae ante Halmii praeclaram editionem. Itaque quae Dietschius de Halmii editione Ciceronis orationum protulit[1]) quodammodo etiam ad has de quibus agimus epistulas adhiberi possunt. Quae potissimum huc spectant transcribere non supersedeo:

l. c. pg. 529: „— eine Untersuchung, welche über die Sprache eines Werkes angestellt wird, muss einen kritisch berichtigten Text zur Basis haben, ohne einen solchen verliert sie den Boden unter den Füssen.“ „Es ist bisher zu wenig darauf geachtet, vor allem dafür zu sorgen, einen correcten Text und damit eine wahre Basis zur Untersuchung zu gewinnen.“

ibid. pg. 530: „Statt durch Vergleichung von Handschriften einen correcten Text herzustellen, blieben die Vertheidiger der Authentie lieber bei dem einmal geltenden Text stehen und halfen sich, wo eine corrupte oder falsche Lesart sich findet, lieber mit den abgeschmacktesten und gesuchtesten Erklärungen, um doch diese oder jene Stelle dem Cicero zu vindiciren.“ „Der Text, wie wir ihn in der Halms'chen Ausgabe vor uns haben, zeugt laut wider sie, indem sich hier Manches als erratum librariorum erwiesen hat, was Markland dem ingenium des armen Verfassers aufbürden wollte.“

Verumtamen, ne Hermanno iniuriam faciam, quasi prorsus earum rerum negligens fuerit, ipse contendit[2]), saepius in antiquitatis monumentis barbariae vestigia ad descriptorem magis quam ad scriptorem referenda esse. Idem fere cadit in Zumptium[3]). Quod quam augustis finibus Hermannus circumscripserit, ex iis quae sequuntur verbis apparet: „Quamquam sedulo“ pergit „cavendum est, ne cui idcirco hac praefatione uti videamur, quo totam epistularum formam emendando velut refingere, dumque earum auctoritatem tueamur, codicum fidem susque deque habere propositum sit, immo praeclare nobiscum agitur quod cum omnium locorum, qui vel lenissimam medelam poscuut, multo

---

1) Mus. Rhen. vol XII.
2) Vindic. latinit pg. 9.
3) De Cic. ad Brut. et Bruti ad Cic. mut. epp. pg. 1. 27. 30.

minor numerus est, quam in fontium auctoritate exspectes, tum inter eos, quorum latinitas Anglos nostros male habuit, vix duo tresve in hoc genus cadunt.“ Quo in genere Hermannum errasse textus demonstrat, quem recentissimae editiones praebent:

Legebatur olim (quod Hermannus omni contentione defendere conatus est):

Epist. I, 2, 3: „quid se nam facturum arbitratus est etc.

Medicus autem praebet veram scripturam:

„quiduam se facturum arbitratus est“.

Epist I, 3, 2 olim legebatur:

„ea cum usque in Capitolium deductus etc.“

Quam scripturam Mediceus quidem praebet, sed in margine Cratandri (C.) exstat:

„a qua usque in Capitolium deductus etc.“

Marginis autem Cratandri lectiones cum e codice perbono excerptae sint, qui fortasse Mediceo anteponendus est, dubitari non potest, quin ea scriptura in textum recipienda sit.

Epist. I, 9, 1 olim:

„est autem alienum tanto viro ut es tu“.

Margo Cratandri: „quantus es tu“

Mediceus: „quam es tu“ (quae lectio ex „quantus“ depravata videtur esse).

Epist. I, 11, 2 olim: „Huic persuadere coepimus“

Mediceus et margo Cratandri: „cupimus“

editio Victoriana altera: „cupiimus“

Itaque recentissimi editores iam dudum „cupiimus“ in textum receperunt.

Quocirca cum iam constet, eorum locorum summas difficultates, quae potissimum ad epistulas damnandas ansam praebuerunt, librariis imputandas esse, nemo, opinor, facile non concedet, iam magis statuere licere, salebras, si quae sunt, non statim falsarii cuiusdam vestigia praebere, sed ex librariorum festinatione et incuria ortas esse ideoque si opus fuerit medicinam adhibendam esse, praesertim in codice, de quo Fr. Hofmannus haec iudicavit [1]): „— Die Verderbniss des Textes ist so bedeutend, dass man ohne Uebertreibung behaupten kann, dass nicht ein

---

[1]) Der kritische Apparat zu Cic. Briefen ad Atticum etc. Berlin 1863. pg. 11.

einziger längerer Brief mit aller unserer Kunst sich lesbar machen würde, wenn uns die Correcturen fehlten, welche von einer andern Hand dem codex beigeschrieben sind."

Jam de locis nonnullis disseram, quibus in defendendis mihi non satisfecit Hermannus vir doctissimus et propter quas potissimum epistularum obtrectatores epistulas damnandas esse putaverunt:

Epist. I, 2, 3: „magis mihi probatur militum severitas quam tua; te benevolentiam etc."

Jam Marklandus[1]) vituperaverat „tua" substantivo omisso maluitque addi substantivum „lenitas". Quo suplemento non opus esse Hermannus contendit[2]), subaudiri enim ex substantivo „severitas" eandem notionem. Itaque Zumptius Hermanni sententiam impugnavit[3]) quod si latine dicere liceret, eodem modo ac iure dici posse: „Romanis magis probatur Caesaris victoria quam Pompeii (sc. fuga)". Sed suo iure Hermannus hoc concludi posse negavit[4]) quod substantivum „severitas" notionem relativam haberet. Quominus autem cum Hermanno faciam, tenor sententiarum prohibet. Is enim requirit, ut cum Tunstallo et Ernestio et Wesenbergio post pronomen „tua" lacunam statuamus, ita ut exciderit substantivum sive „clementia" (sicut Wesenbergius coniecit) sive „lenitas" (cum Tunstallo et Ernestio). Neque enim id Cicero agit, ut Brutum vituperet, quod exiguam tantum severitatem adhibuerit, immo quod omnino nullam. Quocirca vere iam Tunstallus argumentatus est[5]): „the severity of Brutus was none at all and the want of it is the very thing, which Cicero blames in him here and on other places.... how than can the severity of Brutus, wich was none, come into any comparison with that of his soldiers." Huc accedit, quod omnino hoc loco codex archetypus corruptus fuisse videtur, cum etiam in iis, quae proxime antecedunt scripturae fluctuent (de Catoniis — de Antoniis), ut inde quoque corrigendi necessitas quaedam praeberi videatur. —

---

[1]) Remarks pg. 187.
[2]) Vind. latinit. pg. 40.
[3]) De Cic. ad Brut. epp. pg. 14.
[4]) Epimetrum not. 23 et 25.
[5]) l. c.

Epist. I, 2, 5: „Quod scribis me maximo otio egisse, ut insectarer Antonios, idque laudas, credo ita tibi videri etc."

Quo loco sat implicato et spinoso Zumptius [1]) structuram „egisse ut" exagitavit; dicendum enim fuisse contendit „fecisse", cum Cicero revera Antonios insectatus esset, „agere ut" autem nihil significaret nisi „consilium habere", „id agere ut". Contra Hermannus scripturam verbis ex epistula ad Quint. fratrem I, 3, 6 sumptis tueri conatus est [2]): „quae si queri velim praeterita, nihil agam nisi ut augeam dolorem", id quod suo iure Zumptius reiecisse mihi videtur [3]), cum hoc quoque loco non necessario actionis notio adsit. Verum tamen corruptela omnino non in verbis „egisse ut" sed in „maximo otio" latere videtur, sicut etiam nonnullis viris doctis visum est. Gruterus ex aliquot editionibus affert „odio", Manutius coniecit [4]) „animo", quod Ernestio quoque arrisit [5]). Sed et parum latine dicta sunt et difficultas, quae in „egisse ut" inest, nullo modo tollitur. Atque etiam si cum Mezgero [6]) „maximo otio" interpretamur „da noch tiefer Friede war", id minime mihi in sententiarum tenorem quadrare videtur. Omnino enim ejus modi sententia a M. Bruto pronuntiari non potuit, cum prorsus repugnet eius moribus et capessendae reipublicae consiliis, quorum unum in iis, quae sequuntur, affertur: acrius bella civilia esse prohibenda. Quod institutum revera eum tenuisse, ea quae nobis tradita sunt demonstrant: Cum anno 49 a. Chr. n. bellum civile exardesceret, lugendi causa barbam promisit [7]). Cum enim id potissimum ageret, ut legum auctoritas servaretur, alienus erat a turbulentis in re publica tempestatibus. Priusquam ad Caesarem interficiendum accederet, magnopere cunctatus Caesarem ad reipublicae studium perducere id ultimum conatus est, cum bello Hispaniensi confecto Caesari Romam redeunti obviam iret. Atque revera Brutum id fecisse ex epistula

---

[1]) l. c. pg. 15.
[2]) Epimetrum pg. 21.
[3]) Berliner Jahrbb. 1845. pg. 722.
[4]) in commentario ad hanc epistulam scripto.
[5]) Cic. opp. vol. III. p. II.
[6]) Cicero's Briefe übersetzt von Metzger. Stuttgart 1859. p. 191.
[7]) Lucan. 2, 278.

ad Atticum missa apparet[1]): „Itane nuntiat Brutus illum ad bonos viros? etc.“, sicut recte Boisserius observasse mihi videtur[2]): Au milieu de toutes ces anxiétés, qu'on ne pouvait pas connaître, il se passa un fait, qui surprit beaucoup le public et que les lettres de Ciceron racontent sans l'expliquer. Quand on apprit que César, vainqueur des fils de Pompée, revenait à Rome, Brutus mit à se porter à sa rencontre un empressement, que tout le monde remarqua et que beaucoup de gens blamèrent. Quel était donc son dessein? Quelques mots de Ciceron, auxquels on n'a pas fait assez d'attention, permettent de le diviner. Au moment de prendre une résolution suprême, Brutus voulait tenter sur l'esprit de César un dernier effort et essayer une dernière fois de le rapprocher de la republique. Il affecta de louer devant lui les gens du parti vaincu, surtout Ciceron, dans l'espérance, qu'ils pourraient être rappelés aux affaires. César écouta ses éloges avec bienveillance, accueillit bien Brutus et ne le decouragea pas trop. Celui-ci, trop facilement confiant, s'empressa de retourner à Rome et d'annoncer à tout le monde, que César revenait aux honnêtes gens.“ Itaque cum inter Caesaris interfectores fuerit, hoc tenendum est, eum non Caesarem, sed tyrannum, ut persuasum habuit[3]), interfecisse, ita ut quodammodo sibi ipsi constaret. Minora maioribus, rei puplicae libertati sibi subiicere visum erat Bruto idemque iudicandum est de iis, quae postea legum auctoritate quodammodo neglecta fecit. Primum vero semper eam viam ingrediebatur, qua res legum auctoritate servata ad exitum pervenire poterant. Tum demum, cum hac via nihil perfici posse intellexisset, etiam ille homo pacis amantissimus contra leges vi agebat, sed semper eo consilio, ut earum legum, contra quas agere coactus erat, auctoritas restitueretur. Caesare interfecto Cicero quidem postulavit, ut Brutus et Cassius statim senatum convocarênt, id quod Brutus respuit, utpote qui Antonii consulis munus occupare nollet; Brutus suasit, ut Cicero ad Antonium iret, ut eum ad defendendam rempublicam adhortaretur[4]). Etiam tum,

---

1) ad Att. 13, 40.

2) Brutus d'apres les lettres de Ciceron (Revue des deux mondes 1863 pg. 83).

3) Plut. Brut. 29 et 52.

4) Cic. Phil. 2, 35.

cum iam Antonius personam deponere coepit, Brutus persuasum habuit, rem sine turbis transigi posse. Immo vero etiam Antonio, cum calendis Juniis senatum habere constituisset, Brutus tantopere etiam tum fisus est, ut eum interrogaret, num tutus in senatum venire posset [1]). Cum exeunte Julio mense Antonius edictum maledictorum plenum ad Bruti et Cassii infamiam edidisset, prorsus negaverunt, id sese agere, ut bellum civile excitarent. Etiam in edicto dixerunt, libenter velle sese in exilium ire, dummodo pax conservari posset [2]). Atque ubi Antonius minimam tantum legibus parendi speciem simulavit, Brutus summam in spem venit „rem conventuram", Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis provinciis Galliis ad auctoritatem senatus esse rediturum, sicut ipse Ciceroni scripserat [3]). Cum ex Italia cessisset, Athenas profectus totum se tradidit studiis philosophis, quod simulationis artificium fuisse Plutarchus dicit [4]), re enim vera Brutum bellum parasse. Multo autem maiorem probabilitatis speciem prae se ferre mihi videntur, quae Boisserius ca de re disputavit [5]): „Les lettres de Ciceron prouvent au contraire, que c'est la guerre, qui l'alla chercher. La Thessalie et la Macedoine étaient pleines d'anciens soldats de Pompée, qui y étaient restés depuis Pharsale; les îles de la mer Egée, les villes de Grèce, qui étaient regardées comme des sortes de lieux d'asyle pour les exilés, contenaient beaucoup de mécontents, qui n'avaient pas voulu plier sous César et depuis les ides de mars elles étaient le refuge de tous ceux, qui fugaient la domination d'Antoin. Enfin Athènes étaiet peuplée de ieunes gens des plus grandes maisons de Rome, républicains par leur naissance et par leur âge, qui venaient y achever leur éducation. Tous n'attendèrent que Brutus pour prendre les armes. A son arrivée il se fit de tous les côtés un grand et irrésistible mouvement, auquel il fut contraint de ceder lui-même."

Atque etiam ex ea re, quod in C. Antonium, quem in Macedonia provincia bello persecutus ceperat tanta clementia utebatur, eliciendum esse puto, etiam tum Brutum

---

[1]) ad Att. 15, 20.
[2]) Cic. Phil. 1, 3. 10, 4. Vell. Pat. 2, 62.
[3]) Phil. 1, 3, 8. Plut. Cic. 44.
[4]) Brut. 24.
[5]) l. c. pg. 93.

spem nondum abiecisse, rem cum Antonio convenire posse, eamque ob rem ne Antonium laederet cavisse. Denique ex prima quoque epistula ad Brutum enucleare mihi videor, etiam eo tempore, quo ea epistula scripta est, spem illam Brutum nondum abiecisse. Scribit enim Cicero Bruto haec[1]: „Clodii animum perspectum habeo, cognitum, iudicatum; multa eius iudicia, sed ad scribendum non necessaria; volo enim testimonium hoc tibi videri potius quam epistulam. Auctus Antonii beneficio est — eius ipsius beneficii magna pars a te est —; itaque eum salvis nobis vellet salvum; in eum autem locum rem adductam intellegit, — est enim ut scis minime stultus — ut utrique salvi esse non possint; itaque nos mavult, de te vero amicissime et loquitur et sentit. Quare, si quis secus ad te de eo scripsit aut si coram locutus est, peto a te etiam atque etiam, mihi ut potius credas, qui et facilius iudicare possum quam ille quis et te plus diligo.“ Denique cum Octavianus Bruto magno odio esset atque in summam suspicionem venisset multoque periculosior esse videretur quam Antonius, quomodo fieri potuit, ut Brutus id potissimum laudaret, ad quod efficiendum odiosus ille Octavianus arcessendus erat? Quibus omnibus perpensis si hoc modo ratiocinamur, omnes difficultates tolli mihi videntur: Sunt verba Bruti, ex quibus eliciendum est, iam antea alia in epistula Brutum a Cicerone propter clementiam suam reprehensum esse; cui reprehensioni Brutus praeter cetera opposuit haec argumenta: Ciceronem ipsum non statim omnibus viribus ac studiis in Antonios invectum sed cunctatum esse; sed hoc omisso non unam et eandem causam esse trium Antoniorum. Priora igitur verba ad id tempus spectant, quo post Caesaris mortem Antonius et Octavianus de principatu contendere coeperunt atque Cicero neutri factioni in suspicionem venire studebat.[2]) Itaque non aperte Antonium violare neque eius amicitiam dimittere ausus est. Quin etiam in prima oratione Philippica caute dicebat.[3]) Veri simillimum autem est, Brutum Ciceronis moderationem vel cunictationem, qua illo tempore usus erat, laudasse, cum sperari posset, etiam tum bonis civibus rem cum Antonio conventuram

---

[1]) ad Brut. 1, 1. fin.
[2]) Drumann I pg. 137, 151, 153, 165.
[3]) L. Lange. Römische Alterthümer III. pg. 500.

esse, ita ut non opus esset auxilio Octaviani. Putaverim igitur vocabulum „otio" ex substantivo „cunctatione" vel „cautione" mutilatum esse. Quod si statuimus, fit, ut in sententia recondita reprehensio quaedam insit, ad quam melius Ciceronis verba „credo ita tibi videri" quadrant quam ad laudem aliquam Ciceroni tributam. —

Epist. I, 10, 4: „nulloque praesidio quatefeci Antonium".

Verbum „quatefacere" quod alias apud nullum latinitatis scriptorem legitur, epistularum obtrectatores prorsus exagitaverunt atque ideo certissima falsarii cuiusdam vestigia hoc loco deprehendi putaverunt. Erraverunt autem propterea, ut statim dicam, in quo cardo rei vertatur, quod omnino nimis augustis finibus hoc genus formationis verborum cum facere compositorum circumscripserunt. Nuperrime enim Deeckius eximia commentatione demonstravit[1]), multo latius hoc genus formationis patere et praesertim in sermone quotidiano et plebeio usitatissimum et maxime tritum fuisse. Marklandus autem ne analogiam probabilem quidem agnoverat[2]), quod alia eiusdem generis composita, quae a transitivis derivarentur, cum praepositionibus tantum iuncta exstarent, velut: commonefacere, condocefacere, perterrefacere. Verumtamen quid facies cum verbo „torrefacere", quod legitur apud Columellam[3])? Zumptius quoque contenderat[4]), tria tantum verba cum facere composita, quae a transitivis derivarentur et secundae coniugationis essent, exstare: commonefacere, condocefacere, perterrefacere. Praeterea autem exstant; allicefacere[5]), admonefacere[6]), abolefacere[7]), torrefacere[8]). Verba autem cum facere composita, quae aliarum coniugationum essent, tria tantum ab Hermanno[9]) citata legi Zumptius iudicaverat[10]): labefacere, expergefacere, treme-

---

[1]) Facere und fieri in ihrer Composition mit andern Verbis. Strassburg 1873.
[2]) Remarks pg. 120.
[3]) 6, 7. torrefactus ibid. 2, 21. 12, 15 et 57.
[4]) Berliner Jahrbücher für wiss. Kritik 1845. pg. 733.
[5]) Senec. epp. 118, 8.
[6]) in cod. Ambrosiano Cic. pro Planc. 34.
[7]) Tertull. apol. 35.
[8]) Colum. 6, 7.
[9]) Epimetr. pg. 21.
[10]) l. c.

facere. Confitendum quidem est, prius plurimarum harum compositionum membrum esse verbum secundae coniugationis. Sed Deeckius etiam multa composita enumerat, quorum prior pars verbum primae vel tertiae coniugationis est. Plerumque quidem praeterea verbum secundae coniugationis exstitisse statuendum esse demonstrat[1]). Jam praeterea duo verba exstant: incendefacere[2]) et quatefacere[3]) quae concedendum quidem est prorsus nullam verbum secundae coniugationis statuendi ansam praebere, tamen, cum tenendum sit, sicut iam supra dixi, omnino hanc formationem compositorum verborum ussitatissimam fuisse atque etiam apud Ciceronem haud paucas huius generis formas legi, facillime analogiae quadum vi fieri potuit, ut aliquando etiam ad verbum tertiae coniugationis ea formatio adhiberetur, idque hoc loco ideo probabilius fit, quod sine dubio Cicero validissimam enuntiationem petiit, re autem vera ea compositorum formatio nonnunquam ad augendam notionem usurpatur[4]) Quocirca, ut omittam, falsarium quidem, qui alias sermonis Ciceroniani peritissimum sese ostendisset, certe hoc quoque verbum vitaturum fuisse, hoc certe ex iis quae diximus dilucide apparet, hoc verbum ad demonstranda falsarii cuiusdam vestigia nihil valere posse.

Hoc loco occasione data facere non possum, quin nonnulla dicam de minuta et angusta ratione, qua nonnulli viri docti (in primis Angli et Zumptius) ad recensendam harum epistularum latinitatem accesserunt. Ut praeclari illius Madvigii verbis utar, in „natione superstitiosorum Ciceronianorum" ducendi sunt. Confuderunt enim prorsus genus scribendi in orationibus operibusque philosophis usurpatum et scriptionem illam attenuatam, qua Cicero in epistulis utebatur. Quantum vero intersit inter haec dicendi genera, Cicero ipse explicat in epistula ad Paetum scripta[5]): „Quid tibi ego in epistulis videor? nonne plebeio sermone agere tecum? Nec enim semper eodem modo; quid enim simile habet epistula aut iudicio aut contioni? Quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo; privatas causas, et eas tenues, agimus

[1]) l. c. pg. 22.
[2]) Treb. Poll. Claud. 8. Salmas.
[3]) hoc de quo agimus loco.
[4]) Deecke. l. c. pg. 32.
[5]) ad fam 9, 21, 1.

subtilius, capitis aut famae scilicet ornatius, epistulas vero quotidianis verbis texere solemus." Itaque sermo epistularum plerumque magnopere abhorret a grandi et medio dicendi genere et ad tenue, humile genus referendus est.[1]) Summa cum indignitate Zumptius respuit, quod cum Ciceronum latinitate Hermannus Liviorum, Vergiliorum, Pliniorum aliorumque eiusmodi scriptorum latinitatem in contentionem vocavit, velut [2]): Wesshalb Herr H. den Ausdruck bonus latinitatis auctor tadelt, ist nicht zu verstehen. Glaubt er denn wirklich, dass, wo es sich um die Latinität der Prosa handelt, Vergil oder irgend ein anderer Dichter ein bonus latinitatis auctor sei? Darin bestand ja eben das Sinken der lateinischen Prosa, dass man die poetische Diction in dieselbe übertrug." Quae omnia optime disputata sunt, sed ad recensendam Ciceronis epistularum latinitatem parum idonea; licet ad cetera Ciceronis scripta adhibenda sint, in epistulis autem, ut Cicero ipse confitetur, plerumque plebio et quotidiano sermone utebatur, neque eum in accurata elaborataque opera irrepere passus est. Sed nonnulli scriptores aetate Ciceronis posteriores rursus haud ita pauca ex illo genere desumpta scriptis suis inseruerunt. Quare factum est, ut multae dictiones, quae in Ciceronis epistulis leguntur, nusquam alibi exstent nisi apud Tacitum, Plinium, Suetonium, Quintilianum, Columellam etc.[3]) Quin etiam ad poetarum quorundam sermonem Ciceronis verba praecipue in epistulis haud raro accedunt [4]).

Epist. I, 15, 3: „Venio nunc longo sane intervallo ad quandam epistulam, qua mihi multa tribuens unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius et tamquam prodigus. Tu hoc; alius fortasse, quod in animadversione poenaque durior, nisi fortasse utrumque tu, quod si ita est, utriusque rei meum iudicium studeo tibi esse notissi-

---

[1]) Stinner: de eo quo Cicero in epp. usus est sermone
I. Oppeln 1849. pg 2. 10. 15.
II. Oppeln 1854. pg. 4. 8.
Krause: Stilist. Bemerkungen aus Cic. Briefen. Allenstein 1869. pg. 5.
[2]) Berliner Jahrbücher. 1845. pg. 725.
[3]) Krause l. c. pg. 7. sqq.
[4]) Stinner l. c. I. pg. 15.

mum, neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem et legum scriptor solus ex septem; is rem publicam contineri duabus rebus dixit, praemio et poena; est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, et quaedam in utroque genere mediocritas, sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare; quid ego autem secutus hoc bello sim in sententiis dicendis, aperire non alienum puto."

Hoc loco Zumptius et in verbo „usurpare" et in tota sententia offenderat[1]). Quid enim esset „ut Solonis dictum usurpem" nec Ciceronem nec quemquam alium bonum scriptorem ita dixisse; usurpare idem esse, quod „saepe uti" „usu quasi terere" vulgusque usurpare dictum aliquod; qui autem eo uteretur ad iudicium suum confirmandum eum non recte dici „id usurpare". Quod Zumptio concedendum est, itemque merito Zumptius exempla respuit[2]), quae Hermannus defendendi verbi causa attulit[3]): ad Att. 7, 2: „itaque usurpavi vetus illud Drusi". de div. 2, 15: „illud vero etiam melius, quod et a te usurpatum est et dicitur ab illis". Phil. 1, 1: „Graecum etiam verbum usurpavi". ibid. 2, 14: „quod si te in iudicium quis adducat usurpetque illud Cassianum". Nam si severe verba exigas et sententiarum tenoris rationem habeas, etiam illis locis usurpare idem valet quod „saepe uti". De sententia ipsa autem Zumptius haec iudicat[4]): „Cum dicit, se Bruto utriusque rei i. e. praemii et poenae iudicium suum explicaturum dicturus, opinor, est quid universe de praemio et poena iudicet. Augetque disputationis suae expectationem, quod addit, non ita modo se dicturum, ut Solonis dicto utatur, poena et praemiis inprimis contineri rempublicam, verum (sic enim est cogitatione supplendum) sua ipsum ratione ad certum aliquod iudicium perventurum. Hac igitur quasi praefatione usus nihil dicit de universa ratione praemiorum et poenarum; sed „non tanta de re propositum est hoc loco disputare". Quae quidem temeritas tanta est, ut Ciceroni tribui non possit". Quae ambae difficultates tolli mihi videntur, si hac ex-

[1]) Berliner Jahrbücher 1845. pg. 728.
[2]) l. c. pg. 728.
[3]) Epimetr. pg. 23.
[4]) De Cic ad Brut epp. pg 28.

plicatione utimur: Anacoluthum hoc loco exstat eius modi, ut priori membro: „neque solum, ut Solonis dictum usurpem“ respondeat: „est scilicet utriusque rei modus etc.“ Simulque nihil impedit, quominus usurpare idem significare statuamus, quod „saepe uti“. Verba autem: „Sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare“ non ad Solonis dictum spectant, sed ad ea quae proxime antecedunt, ita ut de mediocritatis notione disputare nolit. —

Jam duo loci restant, in quibus defendendis cum viri docti mihi satisfecerint, exempla tantum ad persuadendum valida afferam:

Epist. I, 14, 2: „contendo, ut Ciceronem ne dimittas tecumque deducas, quod ipsum si rempublicam cui susceptus es respicis, tibi iam iamque faciendum est.“

Hoc loco Marklandus Ciceronis arrogantiam vituperaverat [1]): neque enim rei publicae id retulisse, ut Brutus Ciceronis filium secum adduceret, sed ut ipse in Italiam festinaret. Contra Hermannus monuit [2]), iam verbis „tecumque deducas“ contineri notionem hortationis ut Brutus ipse in Italiam festinaret, neque dubium esse posse, utrum Ciceronis an Bruti adventum res publica flagitaret, si quidem illum utroque modo venire certum esset; verba autem „quod ipsum“ ad posterius tantum membrum referenda esse. Atque quoniam Zumptius postulavit [3]), ut, si neglegenter cogitatum esset, demonstraretur, hanc cogitandi neglegentiam solitam esse in veteribus scriptoribus, exempla nonnulla afferam. Re enim vera etiam in aliis Ciceronis scriptis eadem vel similis cogitandi neglegentia reperitur, praecipue in sententiis relativis, velut: de finib. 1, 2 „a quibus tantum dissentio, ut etc.“ (nullis hominibus in iis quae antecedunt commemoratis.) ibid. 2, 13: „Huius ego nunc auctoritatem sequens idem faciam. Quantum enim potero, minuam contentiones omnesque sententias eorum, in quibus nulla inest virtutis adiunctio, omnino a philosophia removendas putabo“ (quasi sententias eas antecedat). Pro Balbo 48: „Itaque cum paucis annis post hanc civitatis donationem acerrima de civitate quaestio Licinia et Mucia lege venisset, num quis

---

1) Remarks pg. 205.
2) Vindic. latinit. pg. 46.
3) De Cic. ad Brut. epp. pg. 17.

eorum, qui de foederatis civitatibus esset civitate donatus, in iudicium est vocatus?"

Epist. I, 2, 1: „quum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes?"

Prorsus exagitaverunt epistularum obtrectatores hoc loco vocabulum „eo", quod pro „ibi" positum esset, atque Zumptius nusquam alias „eo" pro „ibi" legi dilucide demonstravit [1]. Itaque Hermannus „loco" subaudire voluit, quod Wesenbergius in textum recepit. Quo supplemento non opus esse, Lieberkuehnii explicatio huius loci demonstrare mihi videtur [2]) Is enim contendit, sententiarum nexum omnino non „ibi" vel „eo loco" requirere; neque enim Bruti milites Chersonesi versatos esse, sed Brutum quinque legiones et equitatum eo ducere tantum potuisse, sicut appareret ex eadem epistula [3]: „Itaque quod scribis postea statuisse te ducere exercitum in Chersonesum nec pati sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi Romani, facis ex dignitate tua et e republica". Itaque sententia „quum tu eo — haberes" per ἔλλειψιν dicta est pro: „quum tu eo quinque legiones haberes ducendas". Atque revera in aliis quoque Ciceronis epistulis saepius legitur talis praetermissio eorum potissimum verborum, in quibus eundi vel veniendi vis in est. Quin etiam nonnunquam scribendi licentia usque eo progreditur, ut, „quodcunque verbum aut ex iis, quae quis attigerit, vel ipsum vel ita, ut cognatum quoddam in eius locum cogitando substituatur, aut ex omni rerum condicione, de qua agatur, possit repeti", licentius praetermittatur [4]), veluti: ad Att. 16, 4, 1: „Quintus enim altero die se aiebat". sc. Romam perventurum esse. ad Fam. 16, 24, 2: „Puto utrumque ad aquas" sc. profectum esse". ad Fam. 16, 7: „Nec mirabar nihil a te litterarum" sc. missum esse. ad Fam. 9, 18, 4: „Video te bona perdidisse; spero idem istuc familiares tuos" sc. passos esse. Quae cum ita sint, non dubitaverim hoc quoque loco cum Lieberkuehnio similem scribendi licentiam statuere. —

Sed tamen cum non propositum sit, harum epistularum latinitatem singillatim rimari, sed demonstrare tantum,

---

1) De Cic. ad Brut. epp. pg. 13.
2) Jenaer allgemeine Literaturzeitung 1846. pg. 1179.
3) ad Brut. 1, 2, 2.
4) Stinner. l. c. III. pg. 20.

latinitatem, quippe quae satis compta sit, ad controversiam diiudicandam nihil valere posse, eos tantummodo locos ad perscrutandum elegi, quibus potissimum epistularum obtrectatores falsarii cuiusdam vestigia deprehendi indicaverant. Nam quo magis appareat, vel his locis difficultates prorsus esse nullas, eo minus ii loci ad diiudicandum valere possunt, quorum difficultates, si quae sunt, multo levioris momenti et me quidem iudice Hermanni defensione sublatae aut satis explicatae sunt. Immo potius ii tantum, qui res historicas his in epistulis commemoratas quoquoversus sunt perscrutati, ad certam iudicandi notam pervenire possunt.

Quo in genere imprimis ii, qui hoc saeculo hac in quaestione versati sunt, propterea errasse mihi videntur, quod aut nimis omnia (universum epistularum corpus) tueri aut eodem modo damnare studuerunt. Quae enim ratio perversior esse potest, quam qua Zumptius usus est, qui quintam decimam primi libri epistulam electam quasi carpsit et ad extremum iudicavit [1]: „verumtamen vel sic ex una re satis, quid in reliquis factum sit, poterit colligi". Vel alio loco [2]) de se loquens: „Seine (Zumptii) Abhandlung zerfiel in 2 Theile: in dem ersten suchte er einen grossen Theil des Tadels, den Herr H. auf Markland gehäuft, zurückzuweisen; in dem zweiten nahm er den fünfzehnten Brief des ersten Buches durch, wo Markland und Tunstall nur Weniges zn tadeln gefunden hatten, und wies einzeln in Plan, historischen Inhalt und Sprache die Ungehörigkeiten nach. Wie aber dieser von den englischen Kritikern meist verschonte Brief beschaffen sei, ebenso seien die übrigen und desshalb alle als nicht von Cicero herrührend zu betrachten." Neque vero si quis unam epistulam perscrutatus fictitiam eam esse demonstravisse sibi visus est, inde statim necessario sequitur, ut etiam ceterae eiusdem libri, nedum alterius, sint eiusdem generis. Primo enim oculorum obtutu nemo facile non videbit, epistulas, quod ad condicionem et naturam attinet, esse diversissimas. Ast Hermannus quoque in defendendi studio magnopere modum excessisse mihi videtur. Neque enim ei concedere possum, sextam decimam et septimam decimam primi libri epistulas esse genuinas; immo capite

---

[1]) De Cic. ad Brut. epp. etc. pg. 44.

[2]) Berl. Jahrbb. für wiss. Kritik 1845. pg. 722.

quod sequitur secundo commentationis demonstrare propositum est, et certe ei, qui ceteras huisus libri epistulas genuinas censet, ideo illas esse a Bruto abiudicandas, et aliunde quoque multa suppetere, quae ambarum epistularum fidem confringunt, quo in genere prorsus consentio cum praeclarissimo illo viro docto Nipperdeio, qui haec indicavit[1]): „Die Briefe ad Brutum tragen für mich alle Zeichen der Aechtheit mit Ausnahme der beiden selbst von Gegnern der Aechtheit gerade sehr gelobten des Brutus I, 16 und I, 17. Der Ton dieser beiden Briefe steht in Widerspruch mit der Ehrerbietung, welche Brutus in den übrigen Briefen dieser Sammlung überall dem Cicero bezeigt; es sind hohle Declamationen, trotz ihrer Länge arm an Thatsachen, oder, wenn sie solche besprechen, abgeschmackt und auf unrichtigen Angaben fussend. Besonders läppisch ist der mit ermüdender Breite und unendlichen Wiederholungen besprochene Anlass des ersten Briefes (I, 16).“ Qua de re Nipperdeius promiserat, cum otium nancturus fuisset, sese fusius disputaturum esse. Sed quoniam praematura morte vir ille celeberrimus cum maximo philologorum dolore e vita excessit, equidem eam sententiam probare conabor.

[1]) l. c. pag. 71.

Caput II.

Epistulas I, 16 et I, 17 epistularum ad Brutum a M. Bruto esse abiudicandas demonstratur.

§ 1.

Primum in primis id agendum est, ut argumenta ac testimonia quaedam externa, quae vocant, quaeramus, quae omnino internis praeferenda sunt, quod plerumque multo maiorem confirmandi vim habent. Quae ad has epistulas rerum inopes, verborum strepitu tantum insignes spectantia reperire haud ita facile est. Huc autem pertinent, quae a Plutarcho de Bruti ad Ciceronem epistulis commemorantur. Atque Hermannus quidem iudicat [1]; Plutarchum, cum easdem fere sententias exhiberet, ex his in quibus versamur epistulis hausisse, sed temporis ordinem minime observasse, id quod iam Schuetzio visum erat [2]. Contra Zumptius contendit [3], tantum abesse, ut Plutarchi verba ad has epistulas spectarent, cum temporum rationes prorsus diversae essent, neque omnino esset, cur temporis ordo, qui apud Plutarchum exstaret, esset impugnandus, ut et ex ipsis Plutarchi verbis hoc epistularum corpus subditivum esse colligi posset. Duo loci huc pertinentes apud Plutarchum exstant:

Vit. Brut. 22: Plutarchus narrat, Octaviani adventu commutationem rerum Romae factam esse, Octavianum, ut cives sibi conciliaret, pecuniam a Caesare civibus legatam persolvendam curasse, Caesaris milites multis donis ad se perduxisse; iam sic pergit: *Ἐπεὶ δὲ Κικέρων τῷ πρὸς Ἀντώ-*

---

[1]) Abhandlungen der Göttinger Ges. der Wiss. II. pg. 193. 1845.
[2]) opp. Cic. vol. VIII. part. III. p. LII.
[3]) Berliner Jahrbücher 1845. pg. 742.

νιον μίσει τὰ Καίσαρος ἔπραττε, τούτῳ μὲν ὁ Βροῦτος ἐπέπληττεν ἰσχυρῶς, γράφων ὡς οὐ δεσπότην φοβοῖτο, καὶ πολιτεύοιτο δουλείας αἵρεσιν φιλανθρώπου, γράφων καὶ λέγων, ὡς χρηστός ἐστι Καῖσαρ. Οἱ δὲ πρόγονοι, φησίν, ἡμῶν οὐδὲ πρᾴους δεσπότας ὑπέμενον. Αὐτῷ δ' εἰς τοῦτο καιροῦ μήτε πολεμεῖν βεβαίως δεδόχθαι, μήτε ἡσυχάζειν ἀλλ' ἓν μόνον εἶναι βεβουλευμένον, τὸ μὴ δουλεύειν. θαυμάζειν δὲ Κικέρωνα, εἰ πόλεμον μὲν ἐμφύλιον καὶ κινδυνώδη δέδοικεν, αἰσχρὸν δὲ καὶ ἄδοξον εἰρήνην οὐ φοβεῖται: τοῦ δ' Ἀντώνιον ἐκβαλεῖν τῆς τυραννίδος μισθὸν αἰτεῖ τὸ Καίσαρα καταστῆσαι τύραννον. Tum pergit (capite 23): *"Ἐν μὲν οὖν ταῖς πρώταις ἐπιστολαῖς τοιοῦτος ὁ Βροῦτος." "Ἤδη δὲ τῶν μὲν ὡς Καίσαρα, τῶν δ' ὡς Ἀντώνιον διισταμένων, ὠνίων δὲ στρατοπέδων, ὥσπερ ὑπὸ κήρυκι, προστιθεμένων τῷ πλέον διδόντι, παντάπασι καταγνοὺς τῶν πραγμάτων ἔγνω καταλιπεῖν Ἰταλίαν, καὶ πεζῇ διὰ Λευκανίας εἰς Ἐλέαν ἐπὶ θάλασσαν ἧκεν.*

Itaque, quae ipsa Brutus Ciceroni crimini dat, verbis continentur: „*γράφων καὶ λέγων ὡς χρηστός ἐστι Καῖσαρ*"[1]), simulque affert Brutus, quae necessario inde colligenda sibi videntur, Ciceronem commutationem tantum tyrannorum, mitiorem servitutem petere. In sexta decima epistula si severe verba exigas, duae tantum sententiae leguntur, quae incredibili loquacitate usque repetuntur atque similitudinis cuiusdam speciem prae se ferunt: a Cicerone tyrannos commutatos tantum esse; et: Ciceronem petiise ab Octaviano ut viros bonos salvos vellet. Idem fere, quod attinet ad sententiarum similitudinem, cadit in septimam decimam epistulam. Sed hoc inter Plutarchi narrationem et ea, quae his in epistulis leguntur, verba magnopere interest, quod ea, quae apud Plutarchum Brutus ex usu, qui Ciceroni cum Octaviano erat, collegisse tantum dicitur, his in epistulis iam a Cicerone perfecta narrantur. Re autem vera Plutarchum in narratione sua non longius processisse, etiam alter locus, qui huc pertinet, dilucide demonstrat: vit. Ciceron. 45: *οὕτω γὰρ ὑπῆγε τὸ μειράκιον αὐτόν, ὥστε καὶ πατέρα προσαγορεύειν. Ἐφ' ᾧ σφόδρα Βροῦτος ἀγανακτῶν ἐν ταῖς πρὸς Ἀττικὸν ἐπιστολαῖς καθήψατο τοῦ Κικέρωνος, ὅτι διὰ φόβον Ἀντωνίου θεραπεύων τὸν Καίσαρα δῆλός ἐστιν, οὐκ ἐλευθερίαν τῇ πατρίδι πράττων, ἀλλὰ δεσπότην φιλάνθρωπον αὑτῷ μνώμενος.*

---

[1]) Zumpt. l. c. pg. 746.

Quo modo cum Plutarchi narratio interpretanda sit, etiam Schuetzii verbis nullo modo temporum rationes, quae apud Plutarchum exstant, impugnari possunt [1]: „Jam Brutus autumno 709 [2]) Italiam reliquit. Eo tempore vero Cicero nondum Octaviano tantum tribuerat, ut Brutus eum tam graviter obiurgare posset. Quum enim Octavius Neapolin venisset X. Cal. Mai. 709 Cicero eum Puteolis vidit. Quo de congressu ad Att. 14, 12 ita scribit: „„Nobiscum hic perhonorifice et peramice Octavius; quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non item, itaque ne nos quidem, quem nego posse esse bonum civem; ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur; negant haec ferri posse; quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? qui quidem semper erant clari, conscientia vero facti sui etiam beati, sed nos, nisi me fallit, iacebimus"". „Immo etiam circa Non. Nov. (ad Att. 16, 9) scribit, se non confidere Octavii aetati, etsi ille professus erat, se Ciceronis consilio usurum. Eodem modo se de Octavio sentire significat ad Att. 16, 15 exeunte Nov. 709 scripta. Quare Plutarchus erravit, quum isto modo Ciceronem a Bruto obiurgatum esse putavit, antequam ex Italia discederet". Sed merito iam Zumptius monuit [3]), sane quidem contendi non posse, iam tum Ciceronem aperte Octaviano favisse, tamen etiam iam tum benignum et familiarem quodammodo usum inter eos intercessisse, sicut appareret ex epist. ad. Att. 14, 11, 2 a. d. XI Cal. Maias 710 [4]) scripta: „Modo venit Octavius, et quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus." et ex epist. ad Att. 14, 12, 2 a. d. X Cal. Maias 710 scripta: „nobiscum perhonorifice et peramice Octavius".

Jam cum reputes, et Octavianum M. Bruto fuisse odiosum necesse esse et Octavianum ab initio multitudinis benevolentiam captasse, ita ut iam in eo esset, ut a plebe quamvis patricius tribunus plebis crearetur [5]), eum Ciceroni videri totum deditum studuisse, Ciceronem Octaviani benevolentia delectari atque hoc tempore omnino nimis cautum et frigidum Caesaris interfectoribus sese ostendisse,

---

[1]) l. c.
[2]) Schuetzius aeram Capitolinam secutus est.
[3]) l. c.
[4]) aeram Varronianam sequimur.
[5]) Cass. Dio 45, 6. App. b. c. 3, 31.

ut cum consilium ab eo petebant, tergiversaretur, ut aut consilii inopiam eorum illuderet[1]), aut prorsus silentio uteretur, facillime fieri potuisse concedendum est, ut Cicero, quod tantopere Octaviani benevolentia delectabatur, in M. Bruti suspicionem veniret talem, in qualem eum incidisse Plutarchus narrat.

Vides igitur, ea quae a Plutarcho tradita sunt, nullo modo iis repugnare, quae alias de Cicerone innotuerunt.

§ 2.

Hae epistulae (praeterquam quod iam ea, quae a Plutarcho tradita sunt, ad eas damnandas quodammodo sufficiunt) saepenumero etiam cum iis discrepant, quae alias tradita sunt.

De tempore, quo epistulas auctor scriptas esse simulavit, iam Hermannus vere iudicavit[2]), Octavianum bellum cum M. Antonio gerentem cogitari, quod ex his potissimum verbis eliciendum puto:

Epist. 16, 1: „sic enim illi gratias agis de republica“.

ibid. 4: „quod autem tibi cum Antonio privatim odium? nempe quia postulabat haec, salutem ab se peti, precariam nos incolumitatem habere, a quibus ipse libertatem accepisset, esse arbitrium suum de republica, quaerenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur, scilicet ut illo prohibito rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur.“

ibid. 7: „neque hoc tibi in mentem venit, si Octavius ullis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat etc.“

ibid. 8: „quia Antonius vivit atque in armis est.“

epist. 17, 6: „quid enim nostra refert, victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit? tametsi tuae litterae dubia etiamnunc significant.“

Quibus ex omnibus locis apparet, Octavianum in bello cum Antonio versari atque Antonio iam plagam iniectam esse. Atque ex verbis: „tametsi tuae litterae dubia etiamnunc significant“ statuere licet, tempus proxi-

---

[1]) ad Att. 15, 29. ibid. 15, 5.

[2]) Abhandlungen der Gött. Ges. der Wiss. III. 1847 p. 220.

mum proeliis apud Forum Gallorum factis vel a pugna Mutinensi fictum esse. Itaque iam Tunstallus monuerat[1]), Ciceroni talia precandi causam, qualia his in epistulis Cicero ab Octaviano precatus esse diceretur, antea prorsus nullam fuisse, quam Lepidus cum Octaviano se coniunxisset. Atque suo iure id Tunstallus monuit.

Quam difficultatem Hermannus quidem removere conatus est[2]), tamen argumentationibus eius adstipulari non possum: Tunstallum errasse, quod preces illas ad poenam spectare putasset, quam Octavianus postea minari Caesaris interfectoribus incepisset, immo de civili ac populari reconciliatione cogitandum esse, cum Cicero Octavianum cum interfectoribus reconciliare studuisset, ut Octavianus odium deponeret, quod iam saepe illis ostendisset atque rei publicae causa id ageret, ut eos tueretur. Jam sic ratiocinari pergit: „Ich räume ein, dass damals, als Octavian der republikanischen Partei furchtbar zu werden begann, Cicero vielmehr an seine eigene Sicherheit zu denken veranlasst war, und dass die Zeit unseres Briefes den Octavian noch im Kriege mit Antonius voraussetzt. Doch ich räume nicht ein, dass jene Bitte gleichwohl schon zu dieser Zeit den Octavian so furchtbar unterstellt, als er später durch die Versöhnung mit Antonius ward; sondern wenn Cicero bittet: ut eos cives, de quibus viri boni populusque Romanus bene existimat, salvos velit, so liegt darin ziemlich direct angedeutet, dass derselbe gerade seiner Vereinigung mit dem Todfeinde vorbeugen will und zu diesem Ende an Octavians Patriotismus appellirt, dass er die in den Augen des Vaterlandes so hochstehenden Männer gleichfalls in seinen Schutz nehme und auch in dieser Hinsicht gemeinschaftliche Sache mit dem Senate machen möge.“ Primo obtutu vides, Hermannum Tunstalli offensionem frangere non potuisse, sed preces cum aliis comparatas tenues tantum fuisse contendentem rem quasi vitabundum circumivisse. Simulque ad sententiam suam confirmandam audaciorem sane verborum interpretationem adhibuit, sicut ipse sensisse mihi videtur, ita ut verbis usus sit his: „ziemlich direct angedeutet“.

Quid omnino hoc ipso tempore Ciceronem impellere poterat, ut tam demisse precaretur? Diu cunctatus erat,

---

[1]) Observations pg. 173.
[2]) l. c.

in Octaviani partes transire; denique autem transiit spe impletus, se ex sua voluntate Octaviano usurum et ad extremum, si opus esset, etiam Octavianum Antonio victo M. Bruti et C. Cassii auxilio opprimere posse. Atque re vera usque ad id tempus semper Octavianus legum observantissimum sese ostenderat; per C. Oppium Ciceroni nuntiaverat et affirmaverat, nihil sese contra Caesaris interfectores suscepturum, non prohibiturum esse, quominus Casca tribunatum iniret[1]). Quamvis milites urgerent, nihilo minus legum observantissimus imperatoris insignia non prius assumpserat quam senatus ei imperium pro praetore tribuisset[2]). Cum Hirtius in Galliam cisalpinam ad Octavianum profectus ad belli sedem pervenisset, aequo animo tulerat, quod Hirtius summam imperii susceperat[3]). Immo vero etiam haud ita multo ante Antonii illecebras respuerat; cum enim Hirtius in Galliam cisalpinam pervenisset, Antonius Octavianum et Hirtium adhortatus erat, ut, quia Caesariani essent, cum ipso sese coniungerent, quod si nollent, ne Caesaris interfectores adiuvarent. Sed Octavianus et Hirtius cum senatu eum agere iusserant[4]). Atque paulo post epistulam Antonii, qua eorum consilia et facta vituperaverat, Romam miserant[5]). Quid tandem hoc tempore erat, cur Ciceroni eiusmodi preces adhibendae essent, quae tantam suspicionem prae se ferunt neque cogitari possunt, nisi Ciceronem putasse statuimus, Octavianum esse virum summae auctoritatis et amplitudinis, qui iam saepius ad suum arbitrium vel contra senatus auctoritatem egisset. Sed prorsus aliter res sese habet. Octavianus ad id tempus semper legum observantissimum sese ostenderat, ut Cicero facile putare posset, etiam in posterum omnibus in rebus eum fore in senatus auctoritate. Praeterea etiam Ciceronis consilia capessendae reipublicae prorsus alia erant, sicut ex iis, quae postea fecit, dilucide apparet. Putabat enim, Octavianum, cum ad id tempus semper adeo officiosus et paratus ad senatus auctoritatem servandam fuisset, facile de statu, si eius auxilio carere posset, deiici posse. Nam in senatu, qui secundum pugnam Mutinensem a. d. VI Cal. Mai. habebatur, Cicero id potissimum egit,

---

[1]) ad Att. 16, 12. ibid. 16, 15.
[2]) App. b. c. 3, 48. 75. 87.
[3]) App. b. c. 3, 574. 575.
[4]) Phil. 13, 11. 13, 17.
[5]) Phil. 13, 10. 13, 20.

ut D. Bruti merita laudibus extolleret, cui amplissimos honores decrevit. Octaviano autem ovationem decrevisse satishabuit[1]), Atque in ea epistula, in qua de iis honoribus Bruto scripsit, ipse tectis et obscuris verbis consilia sua reipublicae capessendae significare mihi videtur, cum dicit[2]): „suspicor illud tibi minus probari, quod a tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, sed in republica rudibus, non probabatur, quod, ut ovanti introire Caesari liceret, decreverim; ego autem . . . . . nihil mihi videor hoc bello sensisse prudentius, cur autem ita sit aperiendum non est, ne magis videar providus fuisse quam gratus; hoc ipsum nimium, quare alia videamus."

Etiam in senatu, qui a. d. V Cal. Maias habebatur, cum de hostibus consectandis deliberaretur, Octavianus magnopere offensus est, quod senatus decrevit, ut D. Brutus Antonium persequeretur atque imperium gereret. Cicero in Octaviani gratiam nullum omnino verbum fecit. Quid plura? per totum tempus quod secutum est pugnam Mutinensem Cicero et ab eo qui stabant Octavianum de statu demovere studuerunt atque auctoritatem tam exiguam et infirmam iudicaverunt, ut eum ea re demoveri posse arbitrarentur, quod eum silentio praeterirent. Si Cicero putavisset, Octavianum ad studium rei publicae talibus precibus, quales his in epistulis exstant, perduci posse, certe alias quoque nihil praetermisisset, quin eum alliceret et excitaret, sicut antea fecerat. Puto igitur satis demonstratum, has epistulas cum iis pugnare, quae de Ciceronis consiliis factisque aliunde tradita sunt vel certo ex consiliis eius tractandae rei puplicae colligi possunt.

Non item Tunstallo adstipulari possum, cum in eadem epistula sexta decima in ea re offendit[3]), quod Brutus particulam tantum litterarum a Cicerone ad Octavianum missarum accepisse diceretur; nam certe etiam in reliqua epistulae parte res fuisse necesse esse, quae ad Brutum pertinuissent. Quod quin nimis ex arbitrio suo Tunstallus statuerit, dubitari non potest. Mea quidem sententia minime mirum videri potest, quod Atticus eam potissimum partem Bruto misit, qua Cicero de eo scripserat. Atque cum Tunstallus pergit: „is it consistent with the known

[1]) ad Brut. 1, 15, 9.
[2]) ibidem.
[3]) Observations pg. 171.

intimacity of these three great men, to conceal from one another parts of their lettres, which were written upon the most publicated interesting occasions?" certe, ut omittam Tunstallum illud „to conceal" prorsus ex vano habere, Attici „intimacity" magnopere ad incertum revocari potest. Ut paucis dicam, talibus de rebus omnino disceptari non potest et sani critici est, ut ita dicam artem nesciendi colere. Eiusdem fere generis plus minus ea sunt, in quibus in epistula septima decima Tunstallus offenderat, quam ob rem facile fieri potuit, ut Hermannus eas criminationes quodammodo repelleret [1]). Tunstalli criminationes autem sunt hae:

1) non fuisse, cur Cicero mirari posset, quod Brutus nihil unquam de actis eius significaret.
2) cogitari non posse, Ciceronem appellasse Cascam sicarium.
3) triumphi commemorationem historiae fide carere.
4) Attici filiam, cuius nuptias hac in epistula Brutus significaret, illo tempore septem tantum annorum fuisse.

Quas offensiones, quoniam tales sunt ut aut quid rei sit omnino iudicari non possit, aut domestico iudicio nimium tribuendum sit, fusius hoc loco tractare supersedeo. Tantum dico, quod attinet ad criminationem primam, tertiam, quartam ab Hermanni partibus stare me malle. Quod ad Cascam attinet, ego quoque non adducor, ut credam, Ciceronem tali probro Cascam increpuisse. Quamquam enim paulo post Caesaris mortem rem ab interfectoribus non cum constantia perfectam esse intellexerat, tamen factum ipsum semper praedicavit quasi divinum. Atqui ne nimis longi simus iis in captionibus, transeamus ad cetera, quae ad res Romanas spectant:

Cuius generis pauca ex turba inanium verborum quasi eminent simulque, si severe verba exigas, prorsus perversa evadunt. Num tibi animo effingere potes, Brutum ad criminationes augendas talia Ciceroni crimini dedisse, qualia multo magis in ipsum transferri poterant, ita ut Ciceroni Brutus necessario risum moveret. Ciceroni enim vitio vertit, quod Caesari supplicavisset, ut optime de re publica meritis salvis esse liceret; atque pergit, id non solum

---

[1]) l. c.

Ciceroni crimini dandum esse, sed etiam ceteris omnibus atque id ipsum Caesarem impulisse, ut regnum peteret. Verba haec sunt: epist. 1 6, 3: „vindici quidem alienae dominationis, non vicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de republica liceat esse salvis? Ista vero imbecillitas et desperatio, cuius culpa non magis in te residet, quam in omnibus aliis, et Caesaram in cupiditatem regni impulit etc.“ Quae Ciceroni is exprobrare audet, qui post pugnam Pharsalicam Caesari scripsit, ut ipsi veniam daret [1]), qui anno 47. Caesari obviam profectus est, quin etiam Ciceroni epistulam misit, in qua de amissa libertate eum consolaretur [2]), quem quamvis nondum praetor fuisset, Caesar Galliae cisalpinae provinciae praefecit [3]). quem non puduit id munus suscipere. Nullo pacto Brutus iudicavisse potest, orationibus commendaticiis atque precibus commotum Caesarem ad regnum petendum impulsum esse. Neque enim illo quidem tempore tantopere Caesari diffidebat neque putabat, sese contra rem publicam agere, si Caesari gratias ageret; immo vero etiam bello Hispaniensi confecto Attico scripsit, Caesarem sese adjuncturum esse optimatum partibus [4]). Atque C. Cassio omni contentione virium enitendum erat, ut Brutum de sententia demoveret. Quod ut fieri posset, Caesaris obtrectatoribus opus erat dilucidius demonstrare, re vera Caesarem a communis libertatis studio abhorrere. Itidem Brutum iudicavisse cogitari non potest, blanditiis vernilibus Caesari oblatis Antonium ad regnum petendum impulsum esse. Cur enim Brutus potissimum Antonium interfici noluit? Putabat enim Antonium legum prorsus observantissimum fore. Atque re vera, ut etiam majorem quam Caesar obtinuerat potentiam et auctoritatem consequeretur, eo quod Caesaris interfectionem sequitur tempore se legum observantissimum esse simulavit.

Perversa atque insipida sunt, quae leguntur § 4 (epistulae I 6): „Quod autem tibi cum Antonio privatim odium? nempe quia postulabat haec, salutem ab se peti, preca-

---

[1]) Plut. Brut. 6. Caes. 46. 54.

[2]) Cic. Brut. 3.

[3]) Plut. l. c. Cic. Brut. 46. ad Jam. 6, 6. ibid. 13, 10—14.

[4]) ad Att. 13, 40.

riam has incolumitatem habere, a quibus ipse libertatem accepisset, esse arbitrium suum de re publica, quaerenda arma esse putasti etc.“ Quomodo iis ex causis colligi possit, Ciceronem inprimis suo nomine Antonium odisse, intellegi non potest. Praeterea omnino talia non postulavit Antonius. Itaque verba sunt inania et rhetorem sonant. Cicero enim propterea tantum suo nomine odium in Antonium gerebat, quod ab Antonio, cum is a. d. XIII Cal. Oct. in senatu tantopere in Ciceronem invectus esset ne vita sua appeteretur timebat. Itaque Cicero ut suae saluti consuleret, omnibus viribus id agebat, ut Antonius opprimeretur.

Num porro probabilitatis speciem prae se fert, Brutum eo impudentiae processisse, ut Ciceroni obiiceret, frustra futurum fuisse, ut tyrannus interficeretur, frustra sese gavisuros fuisse, si post Caesaris interitum viri boni non id agerent, ut prorsus servitutem exuerent? (§ 5). Quibus adhortationibus Brutus ipse, opinor, vix crediderit, sese Ciceronis animum moturum esse. Statim ipse recordaretur necesse erat, quomodo ipse post Caesaris interfectionem consilii inops tempus absumpsisset, ita ut minime id ageret, ne frustra Caesar occisus esset. Nonne Brutus ipse Ciceronem fatigaverat precibus, ut consilium daret, atque adeo, ut Cicero non amplius Bruto respondere constitueret? [1])

16, 6: „neque incolumis Caesare viro fui, nisi posteaquam illud conscivi facinus“. Quae verba si severe exigas, hoc significant: sese tum demum Romae incolumem fuisse, cum Caesarem interficere constituisset. Quod quid sibi velit, intellegi non potest. Certe scriptor dicere voluit: sese tum demum incolumem fuisse, cum Caesarem interfecisset, id quod prorsus a veritate abhorret nec quisquam severe contendere potest, Brutum talia scribere potuisse. Brutus ipse et ab eius partibus qui stabant, etiam eodem die, quo illud facinus fecerant, gladiatoribus D. Bruti stipati in Capitolium fugerunt, atque Cicero ipse a. d. III Idus Apriles anno 44 a. Chr. n. ad Atticum scripsit [2]): „.... sed vides etiam tyranni satellites in imperiis, vides eiusdem exercitus, vides in latere veteranos, quae sunt εὐρύπιστα

---

[1]) ad Att. 15, 5.
[2]) ad Att. 14, 5, 2.

omnia, eos autem, qui orbis terrae custodiis non modo saepti, verum etiam magni esse debebant, tantummodo laudari atque amari, sed parietibus contineri". Atque idibus fere Aprilibus Roma cesserunt, cum in vitae periculo ibi sese versari putarent[1]).

In epistula 17, 1 contenditur, Ciceronem ambitione permotum inimicitias cum Antonio gessiisse. Verba haec sunt: „...sed quaedum mihi videtur, quid dicam? imperite vir omnium prudentissimus an ambitiose fecisse, qui valentissimum Antonium suscipere pro republica non dubitavit inimicum." Minime probabile est, Brutum rem adeo depravatam Attico scripsisse. Atticus enim, sicut etiam Brutus, sine dubio haud ignoraverunt, quod attinet ad Antonium, Ciceroni rem iam non in integro fuisse, non tam ambitione, quam timore Ciceronem impulsum esse. Cicero pridie Cal. Sept. anno 44 Romam profectus erat Bruti precibus commotus, cui nuntiatum erat, Antonium sententiam suam commutasse, ita ut Cicero sperare posset, rem cum Antonio conventuram esse. Minime illo tempore id agebat, ut Antonium laederet. Quocirca orationem Philippicam primam continenter et caute dixit; probavit comprobationem Caesaris actorum; postulavit autem, ut sine fraude ageretur. Sed Antonium, qui iam antea Ciceroni succensebat, cum Ciceronem commercium cum Bruto et Cassio etiam Octavianum in usu habere scriret atque fortasse a Fulvia uxore quoque incitatus esset, Ciceronis oratio adeo offenderat, ut a. d. XIII. Cal. Oct. in senatu iram magnopere evomeret, quam ob rem Cicero persuasum habuit, rem cum Antonio non conventuram atque se ipsum in periculum vitae adductum esse. Quae cum ita essent, Cicero id agendum esse videbat, ut Antonius opprimeretur, nullo pacto vero ambitione ad eam opinionem perductus erat.

Prorsus confunditur descriptio temporum verbis, quae leguntur § 5: „Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat, tamen illud apparebit, verba rebus esse contraria; quid enim tam alenium ab humanis sensibus est, quam eum patris loco habere, qui ne liberi quidem hominis numero sit?"

---

[1]) Drumann I, 135. ad Att. 14, 5. 6. 7.

Neque enim contendi potest, iam illo tempore Octavianum quo Ciceronis gratiam quaerebat eumque patrem appellabat, non passum esse, ut Cicero liber esset. — Denique etiam hoc quidem non adducor ut credam, Brutum sese profudisse has in declamationes: § 6: „ego certe, quin cum ipsa re bellum geram, hoc est cum regno et imperiis extraordinariis, et dominatione et potentia, quae supra leges se esse velit, nulla erit tam bona condicio serviendi, qua deterreor etc.“ Nam ut verborum strepitum relinquam, Brutus ipse in Macedonia provincia imperium extraordinarium habuit atque C. Antonii imperium quamvis senatusconsulto decretum detrectaverat. Postea demum Cicero effecit[1]), ut senatus populusque Romanus decernerent, ut Brutus in Macedonia, Illyria, Graecia provinciis maneret easque defenderet.

§ 3.

Jam quaeramus, quaenam sit ratio harum epistularum, si cum ceteris eiusdem libri comparamus.

Quo in genere Nipperdeius breviter haec iudicavit[2]): Man wird sich das Verhältniss dieser beiden Briefe schon klar machen können, wenn man sie mit I, 4 vergleicht, in welchem Brutus dieselben Fragen bespricht und durch welchen er einen Brief Cicero's beantwortet (I, 3), der, wie I, 15, 6, fast dieselbe Aeusseruug enthält, gegen welche I, 16 so entsetzlich declamirt.“ Hae epistulae I, 16 et I, 17 eodem fere tempore scriptae sint necesse est, quo epistulae I, 3 et I, 4 (epistula Ciceronis et epistula Bruti, qua Ciceroni respondet). Nam si statuimus — id quod ex epistula I, 17 (ad Atticum) statuere licet — Brutum confestim post pugnam Mutinensem certiorem factum esse itemque Ciceronem epistulam I, 3 paulo post pugnam Mutinensem scripsisse, fieri potest, quin epistulae I, 3 et I, 16 obviae inter se fuerint. Jam cum Brutus epist. I, 4 ad Ciceronis epistulam I, 3 rescripserit, certe colligi potest, epistulam I, 4 secundum epistulam I, 16 a Bruto scriptam esse. Quantopere autem sermo in utraque epistula discrepet, primo obtutu promptum ac propositum est. Epist. I, 4 sermonis ratio est modesta et verecunda et molli bracchio tantum Brutus Ciceronem obiurgavit.

---

[1]) l. c.

velut § 4: „prudentia porro, quae tibi superest, nulla abs te desideratur nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint tuae virtutes, unum hoc a grato animo liberalique profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderant.“ Atque etiam in iis, quae antecedunt, Brutus placide et parce Ciceroni respondet: § 2: „multo equidem honestius iudico magisque quod concedere possit respublica miserorum fortunam non insectari, quam infinite tribuere potentibus, quae cupiditatem et arrogantiam incendere possint, qua in re Cicero vir optime atque fortissime mihique merito et meo nomine et reipublicae carissime, nimis credere videris spei tuae statimque, ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere...; Quae tua est humanitas, aequo animo te moneri patieris, praesertim de communi salute; facies tamen, quod tibi visum fuerit, etiam ego cum me docueris.“

Contra epist. I, 16 auctor ubique superbo, iracundo fervido, maledico sermone usus est, velut:

§ 1: „verba tua recognosce et aude negare servientis adversus regem istas esse preces.“

§ 2: „iuvat enim magnifice loqui et certe decet adversus ignorantes, quid pro quoque timendum aut a quoque petendum sit.“

§ 6: „valde care aestimas tot annos, quot ista aetas recipit, si propter eam causam puero isti supplicaturus es.“

§ 8: „Ego vero .... is sum, qui non modo non supplicem, sed etiam coerceam postulantes, ut sibi supplicetur aut longe a servientibus abero mihique esse Romam, ubicunque liberum esse licebit, ac vestri miserebor, quibus nec aetas nec virtus aliena dulcedinem vivendi minuere potuerit.“

§ 9: „sed certe non succumbam succumbentibus nec vincar ab iis, qui se vinci volunt.

Atque idem fere cadit in epistulam I, 17.

Haec tantum verba sufficient:

§ 4: „o magnam stultitiam timoris, id ipsum, quod verearis, ita cavere, ut, quum vitare fortasse potueris, ultro arcessas et attrahas. Nimium timemus mortem et exilium et paupertatem; haec mihi videntur

Ciceroni ultima esse in malis, et dum habeat, a quibus impetret, quae velit et a quibus colatur, et laudetur, servitutem honorificam modo non aspernatur".

§ 5: „desinat igitur gloriando etiam insectari dolores nostros".

§ 6: „vivat hercle Cicero, qui potest, supplex et obnoxius, si neque aetatis neque honorum neque rerum gestarum pudet."

Vides igitur, opinor, epistulae I, 4 sermonem tantopere discrepare ab epistularum I, 16 et I, 17 sermone, ut ab eodem viro eodem fere tempore de eisdem fere rebus scriptae esse non possint.

Fieri potest, ut rhetor quidam Ciceronis sermonem imitans his ex epistulis primi libri hauserit, quum duae similis generis sententiae hoc in epistularum corpore exstent. Quod si ita sese habet, male eas intellexit vel obtrectatione quadam commotus in Ciceronem invectus est. Alter locus, qui huc spectat, exstat. ep. I, 3, 1: „Caesaris vero pueri mirifica indoles virtutis; utinam tam facile eum florentem et honoribus et gratia regere ac tenere possimus, quam facile adhuc tenuimus! est omnino illud difficilius, sed tamen non diffidimus; persuasum enim est adolescenti, et maxime per me, eius opera nos esse salvos, et certe, nisi is Antonium ab urbe avertisset, perissent omnia." Nec vero Cicero demisse sese gessisse hoc loco dicit; verba eius ad id tempus spectant, quo Antonii copiae prope a Roma considebant atque Octavianus qui summa industria bellum parabat, Antonium cogebat, ut citius quam constituerat in Galliam cisalpinam proficisceretur. Atque ex verbis ipsis nihil aliud eliciendum est nihi hoc, Ciceronem ita Octavianum excitare conatum esse, ut ei ostenderet, quam bene de republica meriturus esset. Altera sententia legitur epist. I, 15, 6: „Tantum dico, Caesarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum." Ea quoque verba nullo modo significare mihi videntur, Ciceronem ab Octaviano petivisse, ut viros bonos esse salvos vellet, id quod sexies vel septies auctor sextae decimae epistulae contendit. Immo vero etiam Cicero aperte dicit, Octavianum ex ipso pendere, ita ut simul

sibi ipsi laudem tribuat, cum dicit, confitendum esse, illo tempore quo Antonius et Octavianus bellum parare incepissent, Octaviani opera omnium bonorum salutem esse servatam, re autem vera Octavianum ea tantum effecisse, quorum ipse auctor fuisset. Minime autem Cicero id agebat, ut Octaviano ostenderet, quantopere bonorum virorum salus ex arbitrio eius dependeret, immo senatores magis propensos tantum reddere studuit ad honores decernendas, quibus Octavianum allicere posset, dum tempus esset, ut eum Antonio victo removeret. Atque cum haud ita pauci de fide Octaviani dubitarent, Ciceroni opus erat Octavianum, dum eius auxilio carere non poterat, laudibus efferre. Eiusmodi autem laudes etiam aliis locis apud Ciceronem leguntur.[1]) Ex quibus omnibus apparet, opinor, in primis hanc epistulam I, 16 repugnare sententiis et epistularum I, 3 et I, 15 et aliorum locorum, qui apud Ciceronem exstant.

§ 4.

Qua ratione hae epistulae conscriptae sint iam subtilius quaeramus:

Duae tantum sententiae, sicut iam supra diximus, si severe verba exigas, utraque epistula leguntur: epist: I, 16 altera est haec: Ciceronem non sustulisse dominationem, sed commutavisse tantummodo dominum; altera. Ciceronem petivisse ab Octaviano, ut Caesaris interfectores salvos esse vellet. Vix autem effingere animo tibi potes quantopere sine iudicio scriptor his in epistulis componendis grassatus sit: Praemittitur propositio vel condicio, qua epistulam scriptam esse auctor fingit, velut epist. 16: Atticus misit Bruto epistulam Ciceronis ad Octavianum scriptam, ad quam Brutus Ciceroni summa cum indignatione rescribit. Quod magis etiam dilucide apparet in epistula 17, ita ut quasi praescriptionem perspicere possis: „Scribis mihi mirari Ciceronem, quod nihil significem unquam de suis actis; quoniam me flagitas, coactu tuo scribam, quae sentio.“ Tum sequitur in utraque epistula, ut ita dicam, captatio quaedam benevolentiae: sese (Brutum) habere quidem persuasum magnopere Ciceronem ipsius (Bruti) salutem curae sibi habere et amico erga ipsum animo affectum esse, tamen . . . . .; iam annectitur com-

---

[1]) Phil. 3, 2. 12. 15. ad Fam. 10, 28, 3.

mentatio, quae leviter et parum subtiliter ita conscripta est, ut ambae sententiae per totam epistulam alternis vicibus proferantur. Mox exsignabo ambas sententias, quae quasi fundamenta, ut ita dicam, turba inanium verborum stipatae sunt, atque ita quidem ut alteram sententiam litterae a subiiciam, alteram litterae b:

sub a). ep. 16, 1: „sic . . . illi gratias agis de republica, tam suppliciter ac demisse — quid scribam? pudet condicionis ac fortunae, sed tamen scribendum est — commendas nostram salutem illi — quae morte qua non perniciosior? — ut prorsus prae te feras non sublatam dominationem sed dominum commutatum esse.

sub b). ibidem: „Unum ais esse quod ab eo postuletur et exspectetur, ut eos cives, de quibus viri boni populusque Romanus bene existimat, salvos velit“.

sub b). § 2: „cui quid agis gratias, si, ut nos salvos esse velit et patiatur rogandum putas“.

sub a). ibidem: „an hoc pro beneficio habendum est, quod se quam Antonium esse maluerit, a quo ista petenda essent?“

sub a). § 4: „scilicet ut illo (Antonio) prohibito rogai remus alterum, qui se in eius locum reponpateretur etc.“

sub b). § 5. „an hoc tibi persuasum est, fore ceteros ab eo liberos, quo invito nobis in ista civitate locus non sit.

sub b). ibidem: „Qui porro id, quod petis, fieri potest, ut impetres? Rogas enim velit nos esse salvos.“

sub a). § 6: „Hanc ego civitatem videri velim aut putem nullam, quae ne traditam quidem et inculcatam libertatem recipere possit plusque timeat nomen sublati regis, quam confidat sibi, quam illum ipsum, qui maximas opes habuerit, paucorum virtute sublatum videat?“

sub a). „§ 7: quod pulcherrime fecisti ac facis in Antonio, vide ne convertatur a laude maximi animi

ad opinionem formidinis, nam, si Octavius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit, non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quaesisse videberis".

sub b). ibidem: „quum vero iudicas tantum illi (Octavio) non modo licere, sed etiam a te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse, nos salvos, nimium magnam mercedem statuis."

sub b). § 8: „Octavius is est, qui quid de nobis iudicaturus sit, exspectet populus Romanus, nos ii sumus, de quorum salute unus homo rogandus videatur?"

sub a). § 10: „itaque resistere Antonio Ciceronem etsi maxima laude dignum est, tamen, quia ille consul hunc consularem merito praestare videtur, nemo admiratur; idem Cicero si flexerit adversus alias iudicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine animi direxit in exturbando Antonio, non modo reliqui temporis gloriam eripuerit sibi etc."

Neque vero indiget haec epistula tanquam conclusionis, quae magnopere opus scholasticum redolet:

§ 11: „Quare non Octavius est rogandus, ut velit nos esse salvos etc."

In epistula septima decima eaedem sententiae exstant, ita quidem ut prior sententia paullulo tantum immutata sit: Ciceronem totum se tradidisse Octaviano ut eius gratiam teneret.

sub a). § 1: „nescio quid scribam tibi nisi unum: pueri et cupiditatem et licentiam potius esse irritatam quam repressam a Cicerone, tantumque eum tribuere huic indulgentiae, ut se maledictis non abstineat etc.

sub b). § 2: „Sustinuisse mihi gloriatur bellum Antonii togatus Cicero noster; quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur in Antonii locum successio et si vindex illius mali auctor exstitit alterius fundamentum et radices habituri altiores, si patiamur? Ego autem gratiam non habeo, si quis dum

ne irato serviat, rem ipsam non deprecatur."

sub a). § 2 fin.: immo triumphum et stipendium decernit et omnibus decretis hortatur, ne eius pudeat concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit."

sub a). § 4: Sed redeo ad Ciceronem. Quid inter Salvidienum et eum interest? quid autem amplius ille decerneret?"

sub b). „ibid.: Timet igitur, inquies, etiamnunc reliquias belli civilis. Quisquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam eius, qui exercitum victorem habet, neque temeritatem pueri putet extimescendam esse?"

sub a). ibid.: „an hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia iam ultroque deferenda putat?"

sub b). ibid.: „o magnam stultitiam timoris, id ipsum, quod verearis, ita cavere, ut, cum vitare fortasse potueris, ultro arcessas et attrahas."

sub a) § 5: Quid enim tam alienum est ab humanis sensibus quam eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit? atqui eo tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, ut sit illi Octavius propitius."

sub b). § 5 fin.: „quid enim nostra refert victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret quod ille obtinuit?"

sub a). § 6: „Vivat hercle Cicero, si potest, supplex et obnoxius, si neque aetatis, neque honorum neque rerum gestarum pudet".

Miror quodammodo, quod has epistulas, utpote quae tam inopes sint sententiarum, critici Angli, quamvis plerumque in ceteras totius corporis magnopere invecti sint, laude quadam affecerunt, quin etiam Tunstallus „gravitatem sententiarum" perspicere potuit, velut[1]): „venio ad epistulas atque ad illam inprimis ad Atticum sane bel-

[1]) epist. ad Middletonium pg. 200.

lulam". vel[1]): „iam illa altera epistula omnes alias et compositionis artificio et gravitate sententiarum superat." Atque similiter Marklandus iudicavit [2]). Etiam Hermannus [3]) quodammodo et Lieberkuehnius epistulas in maius extulerunt, atque is adeo, ut haec iudicaverit[4]): „Diese Briefe sind so ausgezeichnet, so ganz den Charakter des Brutus wiedergebend, dass man etwas Besseres in dieser Gattung nicht lesen kann. Wären sie gefälscht, so hätte der Fälscher in ihnen ein wahres Meisterstück geliefert." Si quid omnino, certe facultas et exercitatio tantum laudanda est, qua easdem sententias tantopere variaverit auctor. Sin autem id intendit, ut hae fictitiae epistulae revera a Bruto scriptae iudicarentur, haud eodem modo facultas et doctrina, quas adhibuit, laudandae sunt. Talis enim scribendi et argumentandi ratio, qualis his in epistulis exstat, minime Bruto imputari potest. Magnopere equidem vereor ne scriptor ea, quae Cicero ipse de Bruti scribendi ratione ad Atticum scripsit[5]), perverse intellexerit atque in falsum auxerit: „Sed totum hoc Bruto dedi, qui de me ad te humanissimas litteras scripsit, ad me autem, etiam cum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere". Ex M. Bruti quidem scriptis si recesseris a nonnullis epistulis, fere nihil sane haec in tempora duravit[6]); tamen etiam et hoc, quod duravit, et quae alias de M. Bruto tradita sunt, ad sententiam meam probandam sufficiunt.

Neque enim tanta sententiarum inopia et levitas ad eum pertinet, quem Cicero „ingeniosum et eruditum" praedicat[7]); tantus verborum inanium strepitus non ad eum, cuius lentitudinem et teporem stili Tacitus vituperat[8]), cuius gravitatem Quintilianus[9]) et Tacitus[10]) praedicant. Quin etiam ieiunus, otiosus, disiunctus esse Brutus Ciceroni

---

1) ibid. pg. 203.
2) Remarks pg. 20.
3) Abhandlungen der Göttinger Ges. der Wiss. III. 1847 pg. 228.
4) Jen. allgem. Literaturzeitung 1846. pg. 1186.
5) ad Att. 6, 1, 7.
6) Slevogt. l. c.
7) ad Att. 14, 20, 4.
8) dial. de ratt. 21.
9) inst. orator. 12, 10, 11.
10) l. c. pg. 25.

videbatur[1]), parum vehemens et plenus fuit[2]). Verumtamen obiecerit mihi fortasse aliquis, facile cogitari posse, etiam Brutum irritatum siccitate deposita quasi flumen dicendi edere potuisse. Sed ut omittam; harum epistularum sermonem cum earum sermone repugnare, quae eodem fere tempore scriptae sunt, sicut supra demonstravi, quomodo cum sermone, qui his in epistulis exstat, id convenire potest, quod ex epistula huius corporis I, 13 elici potest, in qua Brutus pro sororis, quam Lepidus in matrimonium duxerat, liberis precatur atque ad extremum addit: „scribere multa ad te neque possum prae sollicitudine ac stomacho neque debeo, nam, si in tanta re tamque necessaria verbis mihi opus est ad te excitandum et confirmandum, nulla spes est, facturum te, quod volo et quod oportet, quare noli exspectare longas preces"? Atque cum eo quidem sermone optime conveniunt ea, quae Cicero ipse de Bruto iudicaverat in epistula ad Atticum supra laudata[3]). Porro Plutarchus narrat[4]), Brutum in epistulis conscribendis brevitatem Laconicam adhibuisse. Quod etiam epistula huius corporis confirmatur[5]), in qua Cicero ipse brevitatem epistulorum a Bruto scriptarum queritur: „Breves litterae tuae, breves dico? immo nullae; tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me? nihil scripsisses potius". Ex quibus omnibus hoc certe manifestum est, Brutum ne verbosus et longus esset cavisse neque fuse lateque sententiam suam solitum esse argumentis comprobare. Itaque non adducor, ut credam, Brutum vel irritatum se profudisse in tantum verborum inanium strepitum, quibus duae sententiae usque repetantur.

Apparet igitur, opinor, luculentissime ex omnibus, quae protulimus, res, quae paucis tantum locis his in longis epistulis commemorantur, esse prorsus depravatas, ratiocinationes, quae prorsus rhetorem sonant, adeo generatim et universe tantum esse prolatas, ut facile a propriis personis et temporibus avocare atque in alia similis generis transferre posses, genus orationis adeo fusum et tractum esse, ut cum Bruti exili, arido, conciso, minuto convenire

---

1) ad Att. 12, 21, 1. Tac. dial. 18.
2) Tacit. dial. 25.
3) ad Att. 6, 1, 7.
4) Brut. 2.
5) ad Brut. 1, 14, 1.

non posset. Itaque ea, quae Bernhardius de toto harum epistularum corpore iudicavit[6]), ut, quod attinet ad ceteras epistulas, reiicienda sunt, ita prorsus ad has, quas perscrutati sumus epistulas, adhiberi possunt: „ . . . . Die Haltung ist breit und disserirend, die Gedanken wenig mehr als gewöhnliche Motive, dem Vortrag fehlt nicht blos individuelle Färbung und Freiheit, selbst die dem Briefstyl zugestandene Brachylogie, sondern auch scharfe, practische Gebundenheit etc.“

---

[6]) Grundriss der römischen Literaturgesch. Braunschweig 1872. pg. 823.



RUDOLPHUS HEINE de vita sua:

Natus sum Georgius, Ludovicus, Rudolphus Heine anno MDCCCLI die 30 mensis Mart. Brunsvigae, patre Julio, matre Ludovica, e gente Strahliorum. Christianis quas dicunt evangelicis adscriptus institutusque sum in Brunsvigae urbis gymnasio. Anno MDCCCLXXII maturitatis testimonium adeptus Gottingam me contuli, ut iurisprudentiae studerem. Sed iam primo semestri factum est, ut eo consilio abiecto philologiae me traderem. Gottingae autem andivi disserentes Sauppium, C. Wachsmuthium, de Leutschium, Baumannium, Lotzium, G. Muellerum, atque per sex menses in proseminarii philologici sodulitium receptus eram. Ter sex menses cum Gottingae degissem Lipsiam migravi, ubi per quater sex menses audivi disserentes Langium, Ritschelium, G. Curtium, Voigtium, Ecksteinium, Ahrensium, Overbeckium simulque per biennium socius ord. fui societatis philologae Ritschelianae et per annum societatis Langianae nec non interfui per annum scholis in proseminario philologico Langii auspiciis habitis. Quibus viris omnibus doctissimis, humanissimis, qui de studiis meis bene meriti sunt, atque inprimis Langio et Ritschelio, facere non possum quin gratias agam maximas affirmemque, eorum memoriam apud me fore sempiternam.



